

tentia probabili, quod in instanti separationis animæ potest dari actus meritorius, vel dispositivus ad præmium, et mensurativus ejus : ergo non est negandum quod simul sit meritum, et præmium in eodem instanti. Antecedens variis exemplis probatur. Nam in primis in sententia plurium Thomistarum probabile est, quod actus minus intensi qui meruerunt augmentum charitatis, et de facto non præbuerunt illud in hac vita, quia non proruperunt in actum ferventiorum, in illo instanti separationis prorumpunt in ferventiorum actum, et disponunt ad augmentum charitatis, et gloriæ, et tamen illud instans potest esse instans glorificationis, si anima nihil purgandum tunc habeat. Item martyrium non consummatur, nisi in ipsa morte, quia ante mortem nullus dicitur martyr; martyrium autem est actus meritorius : ergo datur meritum in termino post hanc vitam. Et idem est si quis cum attritione confiteatur, et in ipso instanti ultimo prolationis formæ separetur anima, vel sensum prorsus amittat, et sic moriatur, recipit gratiam : ergo potest in termino vitæ justificari, et beatificari : ergo et mereri.

Respondetur illas instantias nihil juvare oppositam sententiam, quia meritum illud, sive contritionis ad primam justificationem, sive ferventioris actus ad augmentum non sunt merita provenientia ex aliquo principio impossibili cum ipso præmio, sed sunt dispositiones ad talem formam requisitæ, imo ab ipsa derivatæ, et formatæ, et sic cum ipsa compossibiles. Unde non negamus meritum, et præmium repugnare simul solum ex ratione communi, et generica actionis meritoria, cum hæc instantanea esse possit, et simul cum termino, sed ex ratione speciali talis meriti, et talis præmii, quatenus a principiis in-

compossibilibus procedunt, ut dictum est.

Ad confirmationem etiam patet ex dictis. Nam ille ferventior actus, qui tunc prorumpit in instanti separationis jam non est meritorius, quia est extra statum viæ, sed est dispositivus ad illud augmentum, sine novo merito. Talis autem dispositio non est incompatibilis cum illa forma, quæ est gloria, sed ejusdem rationis cum illa, et cum ea perseverans. De martyrio dicimus non consummari ejus meritum in ipsa morte in facto esse, sed in ipsa morte in fieri, id est, immediate ante separationem animæ, aut quando ex vi passionis redditur inevitabilis ipsa mors, seu cum aliquis voluntarie patitur inflectionem mortis, ut docet S. Thomas 2-2, q. cxxiv, art. iv ad iv. De illo qui in momento separationis accipit absolutionem, quia ibi terminatur prolatio verborum, si non habet nisi attritionem, certius est non justificari, quia in instanti intrinseco separationis sacramenta non operantur, quæ sunt signa sensibilia recepta in homine, tunc autem jam non est homo. Secus est si tunc incidat in amentiam, quia in illo instanti adhuc est homo, licet non exerceat functiones humanas. Non requiritur autem ad hoc ut recipiatur Sacramentum, quod subjectum actu exerceat liberas actiones, sufficit quod existat vere homo, et ante exercuerit illas actiones, nec retractaverit. Potest tamen in instanti separationis sibi remitti peccatum veniale, sed tunc in illo instanti non habebit gloriam, quia restabit poena illius luenda in purgatorio, de quo D. Thomas in iv, dist. xxi, qu. i, art. iii. Vel si in eodem instanti tota poena illi irrogetur a Deo, adhuc non merebitur simul cum gloria, quia est extra statum viæ, sed satisfaciet.

XXXII. Ex dictis colligitur, non

repugnare quod peccatum Angeli, et poena illius simul in eodem instanti detur, de facto tamen incœpit poena dæmonum quando et gloria Angelorum, fuitque instans tertium in dæmonibus quo terminata est illorum via, secundum autem in Angelis. Prima pars deducitur ex dictis, quia demeritum est culpa, quæ non est impossibilis cum damnatione, nec a principio aliquo ei impossibili procedit, imo cum ipso statu damnationis vehementius crescunt peccata : non ergo cessant peccata adveniente supplicio : ergo possunt simul esse in eodem instanti peccatum Angeli cum obstinatione, et simul cum supplicio. De facto tamen præcessit in Angelis instans peccati, et fuit ante instans damnationis, non propter impossibilitatem, sed propter diversitatem actionum, quia aliquæ actiones fuerunt in Angelis peccantibus quæ cessaverunt in damnatione, et supplicio eorum. Ergo fuerunt diversa instantia, quia instantia in Angelis distinguuntur penes diversos actus, quorum unus cessat, alio adveniente. Antecedens patet, quia Angeli peccantes non fuerunt puniti quamdiu erant in cœlo, sed cum ex illo projecti sunt. At quando erant in cœlo, fuit pugna inter Angelos bonos, et malos, Apocalyp. xii : *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, etc.* cum ergo exercebatur pugna, jam Angelus peccator erat, quia draco erat, et tamen adhuc non damnatus, quia adhuc in cœlo erat, et illa pugna cessavit, cum projectus est de cœlo, et punitus in inferno : ergo aliquod instans cessavit in damnatione, quod durabat in culpa, quia instans, operatio est. Nec obstat quod post unum instans immediate est tempus ; et sic in illo tempore immediate post neque essent in termino, quia non-

dum incœperat damnatio, neque in via quia cessaverat instans peccati. Contra enim est, quia instantia in Angelis non se habent sicut instantia nostris temporibus, quæ ex partibus motus procedunt, et inter illas colligantur, sed sunt indivisibiles durationes perfectæ, ab omni motu divisibili independentes ; et sic immediate se habet unum instans ad aliud, transitque Angelus ab una duratione indivisibili unius operationis ad aliam sine media divisibilitate motus. Quare Angeli in alio instanti puniti sunt, in aliquo peccaverunt. Peccaverunt pugnando, et negotiando multa, cessavit pugna, et negotiatio, seu suasio aliorum in ipsa damnatione. Incœpit in damnatione passio, et poena acerbissima ignis, multaque peccata in Deum ut blasphemiam, odium, aliaque similia, quæ in damnatione perseverant. Quando autem aliqui patres dicunt initium damnationis in ipsa aversione Angelum invenisse, ut non sit aliud incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui, intelliguntur de initio damnationis extrinseco, quia cum fuerunt obstinati in malo, hoc ipso in tali aversione incœpit damnatio. Et eodem modo dicitur hoc fuisse Angelis lapsus, quod hominibus mors, scilicet quoad obstinationem, et inflexibilitatem ad resipiscendum, non quoad intrinsecam incœptionem supplicii, quasi cum ipso lapsu incœperit in dæmonibus.

ARTICULUS II.

Quæ sit causa obstinationis in dæmonibus?

Obstinatio in malo est firma, et immobilis adhæsiō voluntatis ad finem pravum sine ullo remedio re-

trocedendi, et convertendi se ad bonum, et hæc datur in damnatis, quia in inferno nulla est redemptio, nec ibi aliquis ordo, sed sempiternus horror inhabitat. E contra vero confirmatio in bono est immobilis adhæsiō erga rectum finem sine ulla potestate aut periculo recedendi ab illo, sicut datur in statu gloriæ.

I. Duo autem tamquam certa supponenda sunt.

Primum est, in damnatis dari hanc obstinationem, ita ut reverti non possint ad bonum, neque a malitia sua converti. Constat hoc in Scriptura, tum ex ipsa continuatione culpæ, tum ex perpetuitate pœnæ, quæ non posset esse perpetua si a culpa posset damnatus, respiscere: pœnitenti enim conceditur remissio, et peccato remisso cessat pœna, aut temporalis redditur. Quod ergo in damnatis semper continetur constat in primis ex illo Psalm. LXXIII: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*: si ergo semper ascendit, nunquam cessat, quod est obstinatum in peccato habere cor. Item nunquam damnatos de peccato pœnitere deducitur ex illo Psal. VI: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Item Ecclesiastes IX: *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos*: si autem a peccato possent respiscere, rationem haberent, et opus bonum. Ad quod etiam pertinet illud Christi Domini Joan. IX: *Venit nox* (id est, damnatio post mortem) *quando nemo potest operari*: et ad Galat. VI: *Dum tempus habemus operemur bonum*: ergo post hoc tempus, scilicet post spatium hujus vitæ non est operatio bona. Similiter constat pœnam seu supplicium damnatorum in perpetuum duraturum, juxta illud Matth. XXV: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*: et infra: *Et ibunt hi in*

supplicium æternum. Ubi autem pœna est æterna, culpa non remittitur: ergo semper manet: ergo voluntas illi semper adhæret, et afficitur, quod est esse obstinatam voluntatem in malo: si enim voluntas illi non adhæreret, ab illa respisceret. Unde S. Gregorius lib. XXXIV moralium exponens illa verba Job XLI: *Æstimabit abyssum quasi senescentem*, id explicat de persuasionē diaboli, qua aliquibus persuadet abysso, seu inferni pœnas quandoque finiendas, qui fuit error Origenistarum, quem etiam refutat S. Thomas in hac quæstione LXIV, art. II, et inde deducit voluntatem dæmonum esse obstinatam in malo, quia nunquam mutabitur ejus voluntas in bonum, ut pœna ejus finiatur. Et rationem solvens S. Gregorius citato loco, cur videlicet sancti non orent pro damnatis, cum scripturum sit: *Orate pro inimicis vestris*, respondet: « Orant sancti pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo, Angelisque ejus æterno supplicio deputatis. » Igitur certissimum est, et contrarium est error manifestus, ut D. Thomas citato loco dicit, quod dæmones, et damnati non possunt converti ad pœnitentiam, quod est esse obstinatos in malo.

II. Secundo, tamquam certum supponendum est hujus tam duræ obstinationis, et tenebræ obcæcationis causam solum posse esse duplicem, scilicet extrinsecam, et intrinsecam. Cum enim miserabilis ille status creaturæ damnatæ com-

paretur nocti, Joan. IX: *Venit nox quando nemo potest operari*, sicut materialis nox habet causam intrinsecam, et extrinsecam, ita et nox spiritalis: causatur enim nox ex absentia solis tamquam ex causa extrinseca et ex interpositione terræ inter nos et solem, quæ est obstaculum impediens illuminationem solis. Sic ergo horrenda illa nox quæ cadit in spiritum in peccato mortali finiendum statum viæ, solum oritur ex duplici causa, scilicet ex subtractione divinæ gratiæ tam actualis quam habitualis, et hæc est causa extrinseca, scilicet absentia Dei illuminantis; et secundo ex adhæsiōne immutabili ad peccatum: si enim peccata nostra dividerunt inter Deum et nos, ut dicitur Isaia LIX ubi voluntas adhæsiōnem perpetuam habet ad peccatum, immobilem obstinationem habet, et excludit omne Dei auxilium, et gratiam a se. Utramque hanc causam in obstinatione diaboli assignavit S. Thomas. Primam quidem, scilicet extrinsecam in quæstione XXIV de veritate, art. X et qu. XVI de malo, art. V dicens, quod: « Causa obstinationis dæmonum est denegatio divinæ auxiliæ. » Secundam vero causam, scilicet intrinsecam dicit esse inflexibilitatem Angeli, qua post plenam deliberationem, et electionem circa unam partem illi adhæret tanta immobilitate, quanta ipsi fini in communi, quia eodem actu, et impetu fertur in finem, intendit in media, quæ ex deliberatione, et motione finis vult eligendo determinate. Quam causam tradit in hac quæstione LXIV, art. II et IV contra gentil. c. XCV.

Licet autem quæcumque causa obstinationis ad unam ex prædictis reduci debeat, utraque tamen sigillatim sumpta suas patitur difficultates, et graviores se offerunt circa secundam, quam circa primam.

Singulas tamen examinabimus in præsentia.

SUBTRACTIO OMNIS AUXILII AD BONUM EST CAUSA OBSTINATIONIS DÆMONUM.

III. Quod subtractio divinæ auxiliæ sit causa obstinationis in malo, difficultate caret: sicut enim posita permissione divina, infallibile est hominem cadere in peccatum, ita continuata permissione certum est continuari peccatum; et sic denegata omni gratia ad bonum voluntas manet affecta ad malum, et adhæsiō ista continuata, obstinatio est. Nihil autem aliud est permissio cadendi in peccatum quam denegatio gratiæ, et subtractio auxiliæ, dicitur enim Deus obdurare corda, non impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam, ut Augustinus docet. Quod autem dæmonibus denegetur omnis gratia, omneque auxilium ad bonum, deducitur ex ratione communi hominibus, et Angelis damnatis, scilicet ratione status illius, qui est status summæ miseriæ, status termini ultimi, status retributionis peccati secundum rigorem divinæ justitiæ. Et præter rationem communem Angelis, et hominibus, etiam attenditur specialis aliqua ratio in Angelis, propter quam Deus illis subtrahit omne auxilium gratiæ. Igitur ille status damnationis, in quantum communis est Angelis, et hominibus exigit subtractionem omnis auxiliæ divinæ, primo quia est status summæ miseriæ, et infelicitatis, sicut status beatitudinis est summæ felicitatis. Quæ summa miseria explicatur illis verbis Job X: *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: Et illis supra citatis Ecclesiastes IX: *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos*. Status ergo tantæ mi-

seriæ quod caret omni ordine, omni scientia, omni ratione, et vestitur omni horrore, etiam petit carere omni auxilio ordinante ad bonum, et ad rationem. Secundo, ille est status termini ultimi, per quem aliquis ponitur extra viam. In via autem tenditur ad patriam, et ad beatitudinem: ergo qui ita deviat, quod amplius non potest poni in via, sed est in termino ultimo, et totaliter extra viam, manifestum est quod ex vi talis termini carere debet omni auxilio ordinante, et dirigente ad patriam: omne autem auxilium ad bonum opus est de se directivum ad ultimum finem, qui est Deus, et beatitudo. Unde dicit D. Thomas q. xvi de malo, art. v quod: « Immutabiles sunt Angeli post primam electionem, vel in bono, vel in malo, quia tunc finitur in eis status viatoris: unde non pertinet ad rationem divinæ sapientiæ, ut ulterius dæmonibus gratia infundatur per quam revocentur a malo primæ aversionis, in qua immobiliter perseverant. » Denique, quia ille status est status retributionis secundum rigorem justitiæ, convenit ut tunc denegetur omnis gratia, quia per peccatum homo incurrit debitum carenti illa. Unde hoc ipso, quod ponitur extra statum viæ in peccato per quod abiecit a se gratiam, nec amplius voluit illam ut se ordinaret ad debitum finem, justum est ut divina justitia id exequatur, illumque omni gratia, et benedictione, seu auxilio suo privet, juxta illud Psal. cviii: *Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Et ita hoc reducit D. Thomas ad divinam justitiam in quæstione xxiv de veritate, art. x: « Hoc, inquit, justitia ejus deposcit: justum est enim, ut qui bene velle dum possent, noluerunt, ad hanc miseriam deducantur, et bene velle omnino non possint, » quod utique

est denegatio omnis auxilii sufficientis, si quidem auxilium sufficientis dat posse. Subdit tamen s. doctor in calce corporis specialem rationem habere in Angelis divinam justitiam, ut eos privet omni auxilio gratiæ, quod: « Quia per alium ceciderunt, nec per alium resurgere debent. » Est vero alia peculiaris causa in Angelis pro sua abstractione, quia congruit modo connaturali operandi eorum, ut quia immobiliter adhærent suæ sententiæ, et electioni, in qua semel firmantur; ideo semel posita electione, et adhæsione eorum ad malum, non amplius eis detur, unde convertantur. Sed hoc ad causam intrinsecam obstinationis pertinet, de qua statim agemus.

IV. Insurgit nihilominus contra hanc obstinationis causam non dissimulanda difficultas. Etenim damnati retinent libertatem ad peccandum, et de facto peccant in illo statu: ergo non debent carere auxilio sufficienti ad bonum. Patet consequentia, quia si non haberent auxilium sufficientis, non haberent potentiam ad bonum, quia auxilium sufficientis dat posse: in hoc enim consistit sufficientia, si autem non habent potentiam ad bonum, non peccant in non faciendo bonum, quia ad peccandum requiritur quod aliquis possit facere, et non faciat id quod lege præceptum est: si ergo non possunt facere bonum: ergo non peccant in non faciendo illud, sed sunt necessitati ad malum. Ad libertatem autem peccati requiritur potentia ad utrumlibet, tam ad bonum, quam ad malum, quæ est libertas contrarietatis. Sine auxilio autem sufficienti non datur potentia ad bonum. Quod si retinent potentiam ad bonum, ac per hoc habent auxilium sufficientis: ergo non carent omni gratia, et omni auxilio Dei. Et ulterius obstinatio dæmonum

solum erit carentia auxilii efficaci ad operandum de facto, non auxilii sufficientis quo operari possint si velint, quod negat D. Thomas ubi supra. Et sic non erit major obstinatio dæmonum, et hominum damnatorum, quam obduratio aliquorum peccatorum in hac vita, quibus denegatur auxilium efficax totaliter, quia nullum opus bonum faciunt, præsertim aliqui insignes peccatores, qui circa mortem nullum bonum opus faciunt, nec facturi prævidentur, et sic moriuntur: ergo talibus denegatur omne auxilium efficax, nec tamen eorum obduratio tanta est, quanta obstinatio dæmonum. Quare difficile est componere libertatem damnatorum, et imputationem peccati cum carentia omnis auxilii sufficientis, etiam ad bonum honestum ordinis naturalis, per quod auxilium datur ipsum posse.

V. Varie conantur auctores hanc difficultatem dissolvere. Quidam, ut p. Vasquez hic disput. cxli, cap. iv dicunt damnatum carere omni cogitatione congrua, seu efficaci, quæ habitura sit aliquem effectum; hanc enim censet esse gratiam, seu gratuitum donum, et indebitum, etiamsi sit ordinis naturalis; unde optime potuit Deus hujusmodi gratiam denegare damnatis; et sic manent privati omni operatione bona, etiam ordinis naturæ. Hæc tamen solutio solum denegat dæmonibus auxilium efficax, non sufficientis, quod est contra D. Thomam supra citatum qu. xxiv de veritate. Et, ut bene contra ipsum Vasquez urget Suarez lib. viii de Angelis, c. ix negatio cogitationis congruæ potius in sententia Vasquez debet poni pro effectu obstinationis, quam pro casu, quia juxta dictam solutionem non negatur Angelis auxilium sufficientis, sed efficax, quia sufficientis requiritur ut imputetur peccatum:

sine ipso enim non datur posse ad bonum. Auxilium autem ipsum sufficientis in sententia Vasquez redditur congruum, vel incongruum non ex se, sed ex futuro consensu, vel dissensu voluntatis. Qui dissensus resistantia est, et obduratio voluntatis: ergo potius obstinatio seu resistantia voluntatis est causa incongruitatis auxilii, quam incongruum auxilium sit causa obdurationis, et obstinationis in dæmone.

VI. Alii existimant Deum denegare concursum generalem, et simultaneum ipsi damnato, ne eliciat aliquem actum bonum; et sic dici obstinatum in malo. Non potest autem creatura elicere aliquam operationem denegato concursu generali. Sed isti vel fatentur denegari etiam auxilium sufficientis denegato simultaneo, vel concedunt manere. Si denegatur sufficientis, quare recurrunt ad negationem simultanei, cum simultaneus non det ipsum posse, sed supponat. Et tunc restat illis integra difficultas, quomodo cum denegatione sufficientis auxilii stet libertas ad utrumlibet, imputeturque peccatum, si deest potentia ad bonum. Si vero non denegatur sufficientis auxilium, currunt difficultates allatæ, nec assignatur obstinatio quæ tollat posse facere bonum, sed solum quæ deneget efficax, seu actuale auxilium. Certe posita potentia, et auxilio sufficienti ad bonum, dicere quod Deus negat concursum generalem in perpetuum, videtur violentiam quamdam inducere, sicut si igni denegetur concursus ad calefaciendum, et ad miraculum perpetuo continuatum obstinationem illam reducere, non ad connaturalitatem illius status. Inconveniens autem est ponere potentiam cui perpetuo Deus deneget concursum generalem, qui omnibus creaturis communis est.